



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XL. Alexandri Papae III. Ad Thomam Cantvariensem  
Archiepiscopvm. De censura in regem ferenda, nisi plenam pacem cum  
restitutione possessionum praestet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## EPISTOLA XL.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.

De censura in regem ferenda , nisi plenam pacem  
cum restitutione possessionum præstet.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantua-  
riensi archiepiscopo salutem & dilectionem  
apostolicam.*

**A**NXIETATE cordis & amaritudine premissimur , cum angustias , onera , & grauamina , quæ zelo iustitiae , & pro libertate ecclesiæ manutenenda , æquo animo & inuita fortitudine tolerasti , ad memoriam nostram reducimus , & sedula meditatione cogitamus . Verumtamen quod in te virtutis perfectionem adimpleres , non potuisti frangi in aduersis , nec a tuæ constantiæ proposito remoueri ; tuam super hoc commendamus admirandam virtutem , & tibi super tanta patientia in Domino congaudemus . Ceterum , quoniam dilectum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem diutius in patientia & benignitate expectauimus , & blandis & dulcibus verbis , interdum duris & asperis , ut ad seipsum rediret , saxe monuimus : si pacem , quam tecum fecit , executione operis non adimpleuerit , & tibi ac tuis & ecclesiæ tuæ possessiones & honores ablatos non restituerit , tibi plenam auctoritatem concedimus in personas , & loca , quæ ad tuam legationem pertinent , excepta persona regis , vxoris quoque , & filiorum suorum , ecclesiasticam iustitiam , secundum officii tui debitum , nullius obstante appellationis obstaculo , exercendi ; prudentia tamen & circumspectione adhibita , quam modestia sacerdotalis requirat . Datum Signiæ tertio Idus Octobris .

EPISTO-